



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quæcumque Extant

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

Marius <Mercator>

Parisiis, 1673

Ejusdem Theodori de codice secundo ex libro tertio, folio decimo octavo.
Excerptum Tertium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14215

status Adæ participes facti; necessario etiam secundi Adæ Christi Domini secundum carnem, futuri status participium consequimur; utpote qui ex hac eadem natura constet exortus, & cuncta, quæ fuerant naturæ, suscepit: & ideo sustinuerit mortem, ut mortem naturæ suscipiens, & a mortuis resurgens, naturam liberam a morte perficeret.

IX. Et mortem quidem propterea suscepit,

peccatum vero nequaquam; sed ab hoc immunis permanit omnino: quod enim erat naturæ, id est, mortem, indubitanter assumpsit; peccatum vero, quod non erat naturæ, sed voluntatis, nullo pacto suscepit. Quod si fuisset in natura peccatum, juxta sapientissimi hujus eloquium, peccatum, in natura profus existens, necessario suscepisset.

Ejusdem Theodori de codice secundo ex libro tertio, folio decimo octavo.

EXCERPTUM TERTIUM.

I. * B. vere sciebat

SI, inquit, peccatum Deus* nesciebat Adam, sit horum sapientissimorum & ista responsio, quod hoc insanissimum est, vel in cogitatione percipere; manifestum est, quod & peccatum eum noverat, & propter hoc procul dubio moriturum. Quomodo ergo non est extremæ dementia credere, quod primitus eum immortalem in sex horas fecerit; (nam tantæ fuerunt a conditione ejus usque ad com-

missionem, quandoquidem sexto die factus e terra, & comedens contra divinum mandatum de paradiso pulsus est) mortalem vero post peccatum monstraverit.

Certum est enim, quod si eum immortalem voluisset, nec intercedens peccatum Dei sententiam commutasset, quia nec diabolus fecit ex immortalis mortalem, & quidem cunctorum malorum existentem principium.

II.

Ejusdem Theodori de secundo codice ex libro tertio, folio vigesimo quinto.

EXCERPTUM QUARTUM.

I.

NON enim, inquit, his, qui ab Adam, usque ad adventum Christi Domini in tantis fuerunt impietatibus & iniquitatibus, quantas beatus Paulus propriis verbis expressit, ut in superioribus ex ejus declaratum vocibus, tanquam magnum quiddam resurrectionis collaturus est præmium, si eos supplicii quibusdam sine fine & sine correctione tradiderit. Nam ubi jam loco muneris resurrectio putabitur, si pœna sine correctione resurgentibus inferatur?

ET POST PAULULUM.

QUI S, inquit, ita demens, ut tantum bonum credat materiam fieri resurgentibus infiniti supplicii? Quibus vtilius erat omnino non surgere, quam tantorum & talium malorum, post resurrectionem, sub infinitis pœnis experientiam sustinere.

II.

Ejusdem Theodori ex alio quopiam libro adversus Dominum JESUM CHRISTUM, & ejus incarnationem.

I.

NEC enim, inquit, si duas dicimus in Christo naturas, necessario fiet, ut duos filios, aut duos dominos asseramus: quia hoc arbitrari extremæ probatur dementia. Omnia enim quæcumque secundum aliquid duo sunt, & secundum aliquid, vnum, non interimunt per unitatem utriusque divisionem: *Ego enim &*

Pater vnum sumus. Sed non quia vnum, neganda est utriusque proprietas. Et alibi de viro & vxore pronuntians ait: *tam non sunt duo, sed vna caro.* Sed non quia vna caro vir & vxor, jam non sunt duo: manent enim duo, juxta quod duo sunt; & vnum, juxta quod vnum. Secundum hunc modum, & hic duo sunt natura, sed vnum

Matth. 19. v. 6.

Kk ij

Joan. 10. v. 30.